



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

691. An Episcopus Vicario committere possit potestatem conferendi certum beneficium antequam vacet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

de off. Vic. in 6. Garc. p. 5. c. 5. n. 104. & 108. citans insuper Corali. de benef. p. 2. c. 2. n. 2. Zechum de benef. & pens. c. 2. contra Rebuff. in pr. tit. de forma Vicarii. n. 104. & 106. Staphilicum de lit. gratia. tit. de var. mod. vacat. §. resignationes. n. 23. Barb. ubi supra n. 68. Felin. in c. auditis. de prescript. n. 3. apud Castrop. De cætero ex data Vicario facultate admitte-
 rendi resignationes, non addito: etiam ex causa permutationis: non potest Vicarius admittere resignationes ex causa permutationis factas; quia aliud est admittere resignationes, aliud dare auctoritatem permutare volentibus, ut fit in admissione resignationis permutationis gratia. Castrop. n. 12. Garc. n. 110. citantes Rebuff. ubi ante. contra Pet. de Perus. de permut. benef. p. 2. q. 6. n. 23.

Questio 688. An ex eo, quod Vicario data sit potestas destituendi, arguatur, ei concessam potestatem conferendi?

Respondeo negativè: sicut nec vice versâ concessâ potestate conferendi venit potestas destituendi; tamen enim hæc fermè conjuncta sunt in potestate ordinaria, non tamen in delegata seu commissa; cum hæc dependeat à voluntate committentis. Laym. loc. cit. n. 7. Pirh. de off. Vic. n. 53. Nec obstat, quod qui potest destituere, potest etiam instituere, & beneficia conferre; nam etsi id verum in habente potestatem ordinariam, non tamen in eo, qui habet destituere specialiter ex delegatione, vel commissione. Pirh. ibid. citans Paris.

Questio 689. An postquam Episcopus specialiter commisit Vicario suo collationem beneficiorum, ademerit sibi potestatem, si ve ligaverit sibi manus ad conferendum?

Respondeo nequaquam, quin potius Episcopus tunc concurrat cum suo Vicario. Imò, si non constet, uter prius contulerit, præferenda est collatio facta ab Episcopo tanquã habente ampliorem potestatem, sicut simili ratione dicitur de Papa respectu aliorum collatorum. Laym. ad cap. cum in generali. n. 2. citans Sbro. l. 2. q. 93. Pirh. de prab. n. 80. & de off. Vic. n. 55.

Questio 690. Dum data Vicario facultas generalis conferendi omnia beneficia, quæ ad Episcopum pertinent, ad quæ beneficia se illa facultas extendat?

1. **R**espondeo primò: pro fundamento sequentium, cum talis facultas data Vicario sit favor & beneficium cedens in detrimentum solius concedentis latè, quàm fieri potest, est interpretanda. Castrop. loc. cit. n. 7. citans Azor. p. 2. l. 3. c. 46. q. 1. Sbro. de potest. Vic. l. 1. q. 70. Barb. ubi supra n. 56. Hinc

2. Respondeo secundò: extendit se ad sequentia: primò ad beneficia curata & dignitates ecclesiarum Cathedralium; quia hæc sub nomine beneficii veniunt in materia favorabili. Castrop. loc. cit. citans Azor. ubi ante. c. 44. n. 7. Barb. n. 63. Pirh. de off. Vic. num. 50. citans Fagn. in c. ult. de Simon. num. 36.

3. Secundò: ad beneficia post commissionem seu facultatem illam datam Vicario prius erecta; quia, ut dictum, facultas hæc utpote non odiosa & pœnalis latè explicanda, adeoque dicendum, quod

se extendat tam ad erecta quàm erigenda; etsi ea tempore data Vicario potestatis necdum essent in rerum natura. Castrop. loc. cit. contra Pirh. de off. Vic. num. 54. Barbosam & Azor. ll. cit. insistentes Clem. literas. de rescript. Verum illud mandatum, de quo ibi conferendi beneficium certum certæ personæ odiosum, & stricte interpretandum.

4. Tertio ad beneficia spectantia jure devoluta ad Episcopum; quia ea beneficia confert Episcopus jure ordinario & communi ob negligentiam Collatorum. Laym. ad cap. cum in generali. de off. Vic. n. 7. citans Paris. Castrop. loc. cit. n. 14. citans Azor. cit. c. 44. q. 2. Barb. n. 63. secus tamen dicendum, ubi beneficia essent devoluta ad episcopum tanquam Sedis Apostolicæ delegatum; v. g. ob negligentiam Prælatorum Regularium; quia tunc Episcopo ea conferendi potestas non competit jure ordinario, sed delegato. Pirh. loc. cit. n. 54. Castrop. Azor. Barb. ll. cit.

5. Quarto: facultatem illam generalem conferendi beneficia extendere se quoque ad præsentationes competentes Episcopo, contra Garciam loc. cit. n. 83. Laym. loc. cit. Roch. de jurep. v. honorificum. n. 25. Pirh. de off. Vic. n. 52. & c. tener Castrop. n. 15. citans Lamb. de jurep. p. 1. l. 2. q. 4. n. 4. & Azor. ubi ante. q. 10. eò quod nomine conferendi in materia favorabili, & in mandatis & facultatibus ordinariis comprehendantur omnes modi providendi; etsi in mandatis odiosis sit contrarium; nimirum valde distinguantur collatio, præsentatio, institutio, electio; AA. iidem; unde

6. Quintò: extendit se ad beneficia commendanda, ita ut beneficia commendare possit Vicarius in iis casibus, in quibus conceditur Episcopo; quia commendatio beneficii vel est propria beneficii collatio, vel quid minus illa. Castrop. Azor. ll. cit. Barb. num. 64. Subditque Castrop. ex Gonz. gl. 17. hæc à fortiori procedere, dum dicta facultas data esset Vicario sub verbo providendi; quia illud significationem latiore habet, omnesque modos provisionis propriissimè comprehendit.

7. Sextò: dicta facultas sub dictis terminis generalibus data se non extendit ad beneficia, quorum collatio competit Episcopo jure speciali vel privilegio; quia hæc potestas Episcopi aliis communicari nequit. Castrop. loc. cit. num. 14. Laym. in cap. cum in generali. de off. Vic. num. 7. citans Paris. l. 1. q. 24. n. 64.

8. Denique facultatem conferendi beneficia, quomodocunque vacarint, extendere se quoque ad admitteudas resignationes beneficiorum, resignatæque beneficia conferenda, probabile censeat Castrop. num. 10. Cum resignatio solum postulet fieri coram Superiore potente beneficium resignatum conferre, ut Gloss. in clem. unic. de renunc. v. manibus. adeoque cum Vicarius sit Superior, & possit resignata conferre, poterit & resignationem admittere. Verum de hoc alibi.

Quest. 691. An Episcopus Vicario committere possit potestatem conferendi certum beneficium antequam vacet?

Respondeo negativè; sed solum generalem facultatem conferendi ei concedere potest. Pirh. de off. vic. Laym. in c. cum in generali. n. 3. citans gl. communiter receptam in c. deliberatione. §. prohibemus. v. cuiuscunque. de off. leg. in 6. & DD. communiter in c. con-

constitutus, de concess. prab. & specialiter Rebuff. tit. de vic. Episcop. n. 15. ubi quod Episcopus non possit Vicario committere collationem, sive respectu certi beneficii, sive respectu certæ personæ. v.g. dicendo. *Vicario conferas beneficium in hac Ecclesia vacaturum. sive per mortem, sive per resignationem.* Tum quia talibus commissionibus præbetur occasio modis illicitis aperiendi viam beneficiis vacaturis, estque periculum, ne mortis machinatione, aut resignaturi circumventionem vacatio beneficii procuretur: tum quia per hujusmodi commissiones determinatas inducuntur beneficiorum reservationes, vel expectativæ, quæ odiosa sunt, & Episcopis non concessa, juxta gl. in c. cum dilectus. v. quempiam. de jurep. Trid. sess. 24. c. 19. Laym. loc. cit. potest nihilominus committere potestatem conferendi beneficia restricta ad certum locum diocesis, modò ibi sint plura. Laym. loc. cit. ex Sbro. l. 1. q. 53. n. 5. Item, dum debitum alicui est beneficium in Ecclesia quadam, quia v.g. Canoniam sine præbenda consecutus fuit, potest mandare Vicario, ut proximè vacaturam eidem conferat; quod enim de jure faciendum est, ut fiat, mandari seu committi potest. Pirh. n. 51. Laym. loc. cit. n. 6. citans seipsum Th. mor. l. 4. tr. 2. c. 10. n. 2. Item potest committere ei facultatem recipiendi resignationem determinari beneficii, cæque admis- sã eidem committere facultatem conferendi, quia sic non committit collationem beneficii vacaturi, sed vacantis. Laym. loc. cit. Pirh. de off. vic. n. 51. quamvis de caterò simul ac conjunctim potestatem certi beneficii resignationem recipiendi, & illud confe- rendi committere illi non possit, ut Sbrocius l. 1. q. 52. n. 25. & plerique alii. Laym. loc. cit. n. 4. Pirh. loc. c.

Questio 692. An Vicarius concessam sibi fa- cultatem conferendi beneficia exercere possit, & conferre constitutus extra diocesim, uti id posse Episcopum, dictum est supra?

Respondeo affirmativè. Castrop. loc. cit. n. 16. ci- tans Azor. cit. c. 44. q. 9. Barb. n. 64. Gonz. gl. 62. n. 3. Garcias. cit. c. 8. n. 126. citans Covar. l. 3. var. c. 20. n. 28. Menoch. de arb. l. 1. q. 43. n. 19. Paris. de resign. l. 7. q. 24. n. 32. Sanch. de matrim. l. 3. d. 34. n. 2. Lamb. p. 2. l. 2. q. 2. a. 6. n. 3. Coraf. de benef. c. 8. n. 3. & c. contra Bald. in l. 2. ff. de off. proconsul. n. 1. Barbat. in c. novit. de off. leg. Germon. de induit. Card. scribi quod ad. n. 87. licet is dicatur contrarium esse æquum. Non enim magis præ- judicium, aut injuria irrogatur Episcopo per exer- citam in ejus diocesi hanc jurisdictionem volunta- riam ab Episcopo extraneo, quàm ab hujus Vicario; cum absque strepitu, & figura judicii exercea- tur, esto jurisdictioni Vicarii in hoc, nimirum quòd ad conferenda beneficia sit delegata & non ordinaria, sicut est Episcopi (ut Garc. n. 129. contra Coraf. Boërium, Sbrocium) nam etiam delegata jurisdic- tio voluntaria seu concessa ab inferiore à Principe restè exercetur extra territorium ob rationem da- tam. Garc. cit. n. 129. ex Sanch. supra. Neque his ob- stat cit. l. 2. de off. proconsul. in qua se fundant adversa- rii; nam (quod solùm dicitur in cit. lege) licet lega- tus proconsulis à puncto, quo proconsul urbem e- gressus fuit, non habeat jurisdictionem, neque in- tra, neque extra provinciam; quia hanc dare non potest proconsul legato suo, quousque provinciam fuit ingressus, per hoc tamen non negatur, quòd proconsule ingresso in provinciam, legatus ejus, si- cut & ipse proconsul, non possit exercere jurisdic- tionem voluntariam extra diocesim. Garc. n. 130.

P. Leuren. Fori Benef. Tom. II.

Castrop. loc. cit. n. 5. Porro quòd dictum hoc in pun- cto de collatione rigorosè tali faciendã à Vicario, idem dicendum de institutione rigorosè tali faci- endã à Vicario, idem dicendum de institutione & confirmatione; licet enim necessarium sit prius à Vicario cognosci aptitudinem præsentati & electi, potest tamen hæc cognitio esse extrajudicialis, & sic unã cum institutione ab eo fieri extra diocesi- m. Garcias n. 138. juncto n. 142. Castrop. loc. cit. n. 17.

Questio 693. An Vicarius habens ab Episco- po facultatem conferendi beneficia, possit ipse illi Episcopo suo, dum is alias habilis est, con- ferre beneficium?

Respondeo negativè; quia interdantem & ac- cipientem debet esse distinctio; jam verò Epi- scopus, ejusque vicarius unum tribunal, unamque personam & corpus constituunt, uti & id ex eo pa- tet, quòd à Vicario conferente beneficium inhabili non fiat devolutio ad Episcopum, juxta c. 2. de con- suetud. in 6. & c. Romana. de appellat. in 6. Castrop. loc. cit. n. 19. citans Azor. cit. c. 44. q. 13. Garc. loc. cit. n. 143. citans Rebuff. in pr. tit. de forma vicariatus. n. 82. Co- ras. p. 2. c. 8. n. 6. Quintadv. l. 1. Eccl. c. 5. n. 7. Sbrocium l. 2. q. 91. n. 92. ait tamen Garc. n. 144. hoc videri in- telligendum, quando vicarius conferret ut ordina- tius; quia nimirum simul cum jurisdictione genera- li, & ordinaria potestate data ei esset potestas con- ferendi; supponit siquidem, & fusè tradit Garc. à n. 41. quòd, dum illa, quæ speciale mandatum requi- runt, committuntur simul cum designatione Vica- riatûs, seu jurisdictione generali & ordinaria pote- state (aut etiam dum ea separatim, & postea com- mittuntur ab Episcopo, non solum faciente men- tionem Vicariatus, salutando illum & compellan- do Vicarium suum, ut Jo. And. sed dicendo; quòd commissionem aliã datam extendat, ut Garc. n. 44.) tunc Vicarium in omnibus esse ordinarium juxta c. translatò. de constitut. unde fiat, ut nunquam appelletur à Vicario generali ad Episcopum, etiam in requirentibus speciale mandatum; quia solent si- mul cum potestate ordinaria committi; citatque pro hac doctrina Sanch. de matrim. l. 3. d. 29. n. 8. Fe- lin. in l. in corrigend. de off. ordinar. n. 1. Sbrocium. l. 1. q. 67. n. 3. Jo. And. & c. crescent. Ac proinde, ait Garc. n. 144. secus esse, seu Vicarium posse Episcopo conferre beneficium, si conferat ut delegatus. Cujus tamen contrarium tenet Castrop. cit. n. 19. eò quòd dum hæc delegata potestas ab Episcopo proveni- at, si Episcopus vi illius possit beneficium acqui- rere, ipse sibi conferretur beneficium providere, quòd alienum est ab usu Ecclesiæ; cum provisio be- neficii à beneficiario ortum habere non possit, ne detur locus ambitioni.

Questio 694. An Substitutus à Vicario, pos- sit Vicario conferre beneficium?

Respondeo primò, supponendo primò, tamen si Vicarius alium Vicarium designare nequeat, ne procedatur sine termino, juxta c. clericos. de off. Vic. posse tamen ad breve tempus ex causa justa, v.g. in- firmitatis, absentia, alteriusve impedimenti vices suas in totum alteri committere, jure, & consuetu- dine sic disponente, & hos Vicarios substitutos ex eodem tribunali cum substituente judicare, & eo- dem modo esse judices ordinarios. Castrop. n. 18. ci- tans gl. in clem. 1. de regular. v. locum aliorum. Maran- tam de ord. judiciorum p. 4. dist. 5. n. 22. Molin. tr. 5. de

C 3

just.